

GUBERNANTE DEO UNITRINO!  
Inductu Amplissimi Ordinis  
Philosophici

*In Regia & Illustri Academia Abœnsi,*  
PRÆSIDE,  
VIRO Celeberrimo,

DN. PETRO HAHN,  
Phys. Profess. & Biblioth. Reg. & Ord  
Præceptore & Promotore suo  
honoratissimo,

DISSERTATIONEM PHILOSOPHICAM  
DE

DEO

ESSENTIA.

*Candida Φιλοσοφῶν Διοκρίσει,*

Liberalis Exercitii Gratia,

*quâ par est modestiâ, ventilandam submittis*

GISLO UNNERUS

*Smolandus.*

ad d. *Octob.* A. M. DCCIII. h. ab 8. ant.

*Exc. Jo. Wall.*

S. Æ R. Æ M. TIS

Summæ Fidei Viro,  
REVERENDISSIMO IN CHRISTO  
PATRI ac DOMINO,

DN. JOHANNI  
RUNGIO,

S.S. Theol. DOCTORI Celeberrimo,  
Narvæ & Ingrizæ SUPERINTENDENTI  
eminentissimo, Consistorii quod  
ibidem est PRÆSIDI gravissimo,  
Scholarumque per totam Dicece-  
sin EPHORO accuratissimo, PATRONE  
meo uti Magno, ita veneratione  
summa jugiter co-  
lendo,

KIRJALLIS-  
KIRJASTO

SEROS ANNOS!



De grege Pastores dant munera,  
munera musti

Offert Lenæo qui ponit in ordine vites:  
Nympha suæ Dominæ chalatis fert lilia  
plenis:

Dat Cereri fasces, terrã qui vertit aratro,  
Et segetes lætas decerpit tempore justo:  
Dona solet quivis dare talia, qualia curat.  
Sic Ego, qui Mulas (Mularum Magne  
Patrone)

Tempore non longo colui, Tibi munus  
ab illo

Qui mihi provenit fructu, licet exi-  
guum sit,

Subiectis manibus, submissaque offero  
mente;

Qvale sit hoc igitur, placido precor ac-  
cipe vultu,

Atque mihi rude opus decoret (da) No-  
bile Nomen.

*Reverendissimi in CHRISTO*  
*Patris,*

Clicus humillimus  
obtestor

G. U.

Viro  
Nobilissimo atque Consultissimo  
Domino,

DN. JOACHIMO

Ridder - Crantz/

Regii Fennorum DICASTERII ADSES-  
SORI Gravissimo, Domino & Mace-  
nati certissimo, summo reverentis  
Zelo temper suspi-  
ciendo.

**N**e cui sit Vestrum mirum, quod me ex  
publico aliquo indicio venerabundos suos  
fateor me ad hoc audendum inditasse &  
atque illic sparsam, benignitatis, facilisque  
Musarum cultoribus notam, sed à me, pro-  
pione haud parum beato, nunquam fas  
hoc igitur quidquid est, siue rei, siue Spi-  
rantis viris dignum, sed solum ut devotionis  
quale quale specimen, quod ut benigne à  
vendo, Altissimum rogaturus, ut fata vestra  
licissimis in caelesti beatorum consortio.

Nobilissimi DN. Adfessoris  
Humillimus  
G. U.

Maxime Reverendè  
Præclarissimogq;  
Domino,

DN. M. O L A O  
CAVALLIO,

Diceceseos Wex. Archipræposito longè  
Gravissimo, Ecclesiæ Cathedralis & adja-  
centis Paræciæ Bergunda Pastori lauda-  
tissimo, Patrono ac promotori devota-  
mente æternum fuisse devenerando.

*iam in Eorum numero esse cernatis qui pu-  
animos Vobis adprobare laborant, ingenue  
aliorum exempla, & eximiam illam hic  
beneficentiæ laudem, celebri fama omnibus  
pensa comitatus vestra & affabilisatis frui-  
digne celebratam, semper tamen memorandam  
Vobis ita offero, non ut manus aliquod  
animique grati signum & industria mea  
vobis suscipiatur, etiam atque etiam con-  
heic (utinam felicia) excipiant feliciora fe-*

Max. Rever. DN. Archipræpositi  
cultor  
A. & R.

*Consultissimo, Admodum Plurimumque  
atq; Doctissimis Dominis, xāe*

**DN. DANIELI Dressling/**  
Judici territoriali æquissimo, Patrono  
& Benefactori suo incomparabili, &  
optime de me merito, ad cineres o-  
mni officio & cultu perpetim suspi-  
ciendo.

**DN. M. SAMUELI UNNERO,**  
Pastori in Nydaholm & Præposito in  
Östboø longe dignissimo, Patruo meo  
dulcissimo & liberalissimo, summo re-  
ventitiæ cultu, piaque observantia ad  
mortis horam prosequendo.

**DN. M. MAGNO FIORINO,**  
in Reg. Gymn. Wex: S. S. Theol. Le-  
ctori primario, Consist. Adlessori am-  
plissimo, Eccl. quæ DEO in Wederslöf  
& Dänningelanda colliguntur Pastori  
meritissimo, Adfini & Promotori tuo  
propensissimo, submissa animi rever-  
entia æternum colendo.

**DN. JBB: JBBSONIO,** in Sca-  
nia & Siältsinge Pastori optime me-  
rito, Patruo suo nulla non venera-  
tione ætatem colendo.

que Reverendis, Clarissimis,  
ὁμῶν καὶ εἰρήνῃ δοτὸ ὁ ὦν!

DN. M. JOHANNI FLACHERO,  
Pastori & Præposito in Nüssfele lon-  
ge meritissimo, Avunculo meo ut aī  
teneris semper benignissimo, ita omni  
observantiæ cultu nunquam non co-  
lendo.

DN. M. ANDRÆ Ingerman/  
Pastori in Siötharnd & Præposi-  
to in Sunnerbo gravissimo, Patruo  
meo carissimo, & Evergetæ magno,  
ob beneficia semper impente hono-  
rando.

DN. M. PETRO COLLIANDRO,  
Reg. Gymn. Wex: S.S. Theol. Lectori  
secundo laudatissimo, Vener: Consi-  
stori Adfessori æqvissimo, ut Affini  
& Præceptorio meo fidelissimo, ita  
nunc Patrono & Promot. certissimo,  
quovis honoris cultu æternum co-  
lendo.

DN. LAURENTIO TORPENSI,  
Past. in Jorseda/Brearynd & Lorfkinge  
longe dignissimo, Avunculo meo sin-  
cera mente venerando.

Vindices primum, mihi præpara-  
ravit,

Vos pios Patres, faciles pro-  
pinquos,

Sumus in cælis Deus, ut Parentem  
Funere merfit.

Vos mei curam precor ut gera-  
tis,

Hactenus qualis fuerat clientis  
Gesta, nunc vobis animum vo-  
lentis,  
reddere gratum.

Ergo Musarum capiatis, Oro,  
(Qualis est) fœrum, placidâ, me-  
arum,

Fronte: qui rodunt, hebetate  
dentes,

Scripta malignos.

GISLO UNNERUS.





LECTORI CANDIDO  
VITA SALUS!



*R* ungue leonem si aestimare  
Tibi libuerit, certo scio, o-  
pellam hancce, mihi non  
laudi, sed vitio verti; te-  
nui enim filo, crassaque  
( ut ajunt ) Minervâ que  
heic contexta sunt, Materia sublimitati,  
malè responderè vides, in dubio ergo  
semper fuit animus meus, num Tibi Ar-  
gumentum hocce nobile, juxta vero diffi-  
cultatibus variis implexum, sed à me  
inconciunius longè quam fas est, delineo

atum, sistere audeam: sed in causa suis  
angustia, non temporis modo, ita ut quæ  
in tam amplo argumento mittenda es-  
sent vel eligenda, perspicere non liceret,  
sed & rei, ut mihi certè invito, calamus  
excuteret, ne plura huic insumerem: qua-  
propter eo fere res redierat, ut ni animum,  
aliorum, quorum revereor nomen, suffra-  
gia reddidissent, & operam & oleum per-  
didissem infelix: Te itaque Oro & Obte-  
stor, ut pro solito Tuo Candore, ea quæ  
à me vacillanti calamo hic conjecta sunt,  
serena fronte excipere & in meliorem par-  
tem interpretari baud dedigneris. Vale!



S. I.

**A**rdui laboris opus est de DEO ESSENTIA philoso-  
phari, nam ut olim, ita  
nec hodieque desunt, qui  
temerario ausu DEO ma-  
ximè simplici & absolutissimè perfecto,  
non levem imperfectionis labem, ve-  
rum eo ipso sibi quoque immanem pec-  
cati maculam adspargunt: è sectis Phi-  
losophorum multi contra rectam ratio-  
nem & naturale lumen hallucinati, er-  
roneas de summo Ente foverunt opi-  
niones *Vid. Theol. natur. B. D. Steph. Klotz*  
*pag. 247. 248. & seqq.* Inter Hæreticos  
plurimi, utpote *Manichei, Priscillieniste Pho-*  
*simiani &c.* per paradoxa sua dogmata  
tam *Simplicitatem*, quàm *Perfectionem* supre-  
mæ *Essentia* labefactarunt. Profitetur in iis  
nomen *Conradus Vorstius*, qui dicere non  
erubuit in *Tract: de DEO pag. 209. seq. &*  
*247. In DEO videtur aliqua diversitas inesse, ut*

aliud sit ipsa substantia DEI vivens, aliud vita  
 seu vis illa, per quam vivit, Esse in DEO aliud  
 atque aliud per naturæ necessitatem ab aeterno,  
 neque esse simpliciter & omni modo vera axio-  
 mata, in DEUM non eadere ullam diversi-  
 tatem aut compositionem, Item nullum in  
 DEO accidens esse. Denique quid de in-  
 lana blasphemia Talmudistarum? Quid de  
 delirio Cerdonianorum? Quid de aliorum  
 Antropomorphiticis & vregrandibus erro-  
 ribus dicam? Indigni certe sunt, qui so-  
 lem adspiciant hi tales, quos non pudet  
 objectionibus è spinosa rationis huma-  
 næ officina depromptis, summam DEI  
 simplicitatem & perfectionem impugna-  
 re, variaque contra eam dogmata blas-  
 phemo ore eructare.

## §. II.

Vindicaturus igitur tam simplicitatem,  
 quam perfectionem summi Entis prin-  
 cipio DEUM non modo *Ens* in concre-  
 to, verum etiam *Essentiam* in abstracto  
 rectè dici assertum ibo. DEUM (a) ut  
*Ens* in concreto sistit ipsum DEO soli  
 pro-

3  
proprium & divinæ naturæ significati-  
vum nomen, Hebræum יהוה; cui ut po-  
test, accedit Græcum ὁ θεός; & Latinum  
*quis est vel existens*: derivatur hoc nomen  
DEI in hebræa lingua à radice היה *fuit,*  
*existit*; formatione planâ, per (י) forma-  
tivum nominis ab initio additum; reli-  
quæ autem tres literæ integram radicem &  
solam exhibent: Significat ergo hoc no-  
men eum qui *absolute*, seu excellentissi-  
mo modo *est & subsistit* nimirum à se-  
metipso, quique cæteris omnibus יוֹיִים  
& *Essentiam* confert, ut infra patebit. Hinc  
DEUS se appellat יהוה אלהים Ex 3. cap. Mosi  
namque nomen Jehovah (ciscitanti re-  
spondet Dominus יהוה אלהים אלהים) *Ero*  
*qui Ero*; Et paulo post יהוה אלהים שלחני  
אליו *Ero misit me ad vos*: hoc nomen  
יהוה ejusdem est significationis cum  
priori nomine: derivatur enim à radi-  
ce היה, quam significationem prorsus  
convenire cum יהוה constans Doctorum  
sententia est: Quia vero est prima per-  
sona futuri, proprie *Ero* denotat, unde  
*absolutam perseverantiam* DEI in *Essendo*  
con-

concipimus, quam suapte natura habere  
à nullo alio dependentem: Et in Apo-  
calypsi Joh. Cap. 1. v. 8, ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ  
τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, λέγει ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ  
ὁ ἐρχόμενος ὁ παντοκράτωρ: contra fidem igi-  
tur Catholicam & sacram scripturam  
pugnaret, si quis DEUM *Ens* esse vel  
negaret vel dubitaret: id quod pluri-  
bus adhuc probari posset & monstrari  
DEUM sub latitudine *Entis* contineri,  
nisi res esset satis manifesta: Nam  
aut DEUS erit *Ens* aut *non Ens*, eo quod  
inter *Ens* & *non Ens* tanquam contradi-  
ctoriè opposita aliud medium non in-  
terveniat; At *non Ens* dici minime po-  
test, cum omnium maximè & longis-  
simè recedat à nihilo, imo ita sit ex-  
tra nihil, ut *non Entis* ne umbram qui-  
dem in se contineat *Conf, Jac. Mart. Ex-*  
*ercit: Metaph. L. 2. Th. 3.* sed habeat τὸ *Esse*,  
ut qui à nullo est extra se, sed à se  
ipso quique omnibus ut sint est causa  
essendi, & sine quo ne momento qui-  
dem esse possunt, & ad quem comparata  
omnia alia Entia quasi nihil sunt *Esq. 40. 15.*  
Ex-

Ergo nomen illud ὁ ὢν B. Patribus semper visum fuit χριστώτερον πάντων τῶν ἐπὶ θεῷ λεγομένων ὀνομασίων ut Damasc. *appel. de Orth. fid. L. 1. C. 9.* ὅλον γὰρ ἐν ἑαυτῷ συλλαβῶν ἔχει τὸ εἶναι, ὡς ἄρτι πέλαγος ἐστὶ ἀπειρον καὶ ἀόριστον.

§. III.

DEUM (B) rectè dici *Essentiam* in abstracto persuasissimi sumus: Ex dictis enim Scripturæ, modo in probationem, quod DEUS est *ens* allatis, constat *Essentiam* quoque merito nominari posse; ad locum Apocal. 1. v. 8. inquit non nemo *Quia DEUS in Apocalypsi de se dicit, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν, & bona Grammatica ratione ἀπὸ τῆς εἶναι formatur ἐστὶα: ideo vocabulum Essentia non omnino alienum est & peregrinum à Divinis Scripturis, quamvis totidem literis & syllabis ibi non extat, quemadmodum neque Vox Græca illi respondens, Scil. quoad significationem, quæ heic attenditur, res ipsa tamen perspicuè in illis traditur: DEO enim adscribitur *Natura* Gal. 4. 8. Et expressè*

Di-

**D**ivina Natura 1. Pet. 1. 4. Item *θεός*  
Col. 2. 9. *θεός* Rom. 1. 20. Quæ omnia nihil aliud sunt, quam Divina *Essentia*. Porro ob summam DEI simplicitatem multoties nominatur DEUS non solum verus sed & abstractive *veritas*, non sapiens sed & *sapientia*, non lucidus modo sed & ipsa *lux* &c. quis Ergo de DEO *Essentiam* in abstracto, magis quam *Ens* in concreto negaret? Nec est quod metuas ideo in DEO aliquam compositionem, quasi sit aliquid compositum ex *Essentia* & *habente Essentiam*, siquidem is talis modus nostræ cognitionis, non rei significatæ, sed saltem nostri intellectus imperfectionem arguit, qui simplicia non potest intelligere, nisi per modum compositorum; Est ergo *Essentia* in DEO non per compositionem aliquam ejus ad DEUM quasi ad *subjectum*, sed per veram *identitatem*, ita ut propter infinitatem sui sit perfecte *ταυτόν* cum ipso DEO, cujus est *Essentia*; sed de hisce in sequentibus pluribus dicturus ero.



## §: IV.

**E**ssentia porro DEI, prout Essentia DEI, Est, involvit absolutam necessitatem existendi, & formaliter dicit *Essentiam simpliciter necessariam*, quæ neque potuit incipere vel non Esse, utpote ex qua omne Esse proficiscitur, neque potest desinere, utpote cui omnis contingentia repugnat ob simplicissimam actualitatem, quæ non tantum indifferentiam ad Esse & non Esse, quæ est in creaturis, sed & omnem formam à se distinctam omnemque potentiam passivam abhorret, quippe quæ non tantum compositionem, verum etiam magnam in DEO dicunt imperfectionem, id quod postea manifestius evadet; Hinc si DEUS *Ens* est simpliciter *necessarium*, omnino *Ens* erit simpliciter *primum*; ratio consequentiæ, quia quod necessario existit, semper existit & ab æterno: Quid magis? Quicumque aliunde non habet sui originem, ille rerum omnium existendi causa est, atqui DEUS aliud se prius non agnoscit, quod illi causa esse

potuit ut existeret; Ergo DEUS omnis alius Essentiæ extra se causa est; *Essentia inquam* Divinæ omnis alia Essentia suam debet originem & ab ea necessario & immutabiliter pendet, ita ut si per impossibile illa non esset, impossibilis quoque foret omnis alia Essentia, & nihilum actutum redigeretur, nisi ab illa assidue dependeret *Conf Philos. Burg. Metaph. Tract. 3. pag. 339.* Huc accedit dictum Syracidis Cap. 43. 29. Ἰὸ πᾶν ἔστιν αὐτὸς ἴψος (DEUS) est omnia, quæ sanè elegans est Divinæ Essentiæ περιφρασις quia in ipso velut fonte, omnium rerum perfectiones, seu omnis Entis plenitudo, per eminentiam habentur, *vide B. D. Calovii Metaph. pag. 253.* ita ut non solum sit prima Entitas, Veritas, bonitas, sed & omnis Entitas, imo vero summa, simplicissima & perfectissima Essentia.

### §. V.

**U**lterius, quo pacto *Essentia* pradicetur de DEO, quo de creatis Entibus dispiciendum; de his nimirum (a) *communi ra-*

9  
bione & per quandam participationem, unde  
commodissime *Ens* ad DEUM & crea-  
turas dicitur *Analogum*, *Conf. Scheibleræ*  
*Metaphysicæ Lib. 2. Cap. 3. Art. 1. punct. VII.*  
quod significat quidem unam rationem  
communem, non tamen unitatem vel  
modi essendi, vel ordinis essentialis,  
vel gradus perfectionis, quia *Ens* crea-  
tum dependenter est *Ens*, sive *Ens* per  
imitationem & habitudinem ad DEUM,  
qui illimitate & citra omnem partici-  
pationem *Esse* suum habet: at ( $\beta$ ) de DEO  
*singulariter & propriè* enunciatur, & de-  
notat non id, quod aliquando non fuit,  
& potest rursus non esse; sed aliquid  
revera, & quidem modo prorsus sin-  
gulari, id est infinita cum perfectione  
existens, ἀνολόστον, ἀνολοφύεσ, ἀνολαύός; adeo-  
que inficias ire non possumus, *ESSEN-*  
*TIAM* prædicari de DEO, non tanquam  
*genus* de suis speciebus, nec ut *totum* de  
partibus, nec ut *species* de individuis,  
sed *transcendentaliter*, & alio quodam *ines-*  
*fabili & incomprehensibili modo*. B. August:  
L. 7. & D. Joh. Osiander exercit. 5. de Trinit.

optimè Svarétz: docuit *Diff. 5. Metaph. sect: 1. Num. 6* *Essentiam DEI*, non esse aliquid *Metaphysicè* vel *Logicè* commune vel universale, respectu trium personarum, & si sit *hyperphysice* communis, se seque communicet tribus personis, ut *natura suppositis*, in quibus nec ab ipsis, nec à se ipsa dividitur; sed hæc communicatio non facit universale, & repugnat individuo, verum ea, quæ fit ad plura ejusdem rationis inferiora species: Est enim natura divina una numero, in tribus personis, natura vero universalis non est una numero, sed *communione* Essentiali, quæ supra unum est in multis, *Vid Montorium de univers. p. 446.* ita ut in iis multiplicetur; sicut *cum animal est genus & equus species, appellantur tres equi & eadem tria animalia, Aug. L. 7. de Trinit C. 8* cum Ergo tres personas fatemur esse unam Essentiam, non tres Essentias, quemadmodum tres equi, tria animalia dicuntur, non unum, patet, ratione *Essentie*, non significari ge-

mus, nec nomine *personæ*, *speciem*. *Conf. Theol. Nat. Doct. Klotz. Diss. de Essentia Div. N. 54. 55.* §. VI.

**D**EUM autem esse *meram Essentiam*, & cui nihil *extraessentialis admixtum* sit, *stabiliet (a) Essentiæ Divinæ infinitas*: cui nihil per naturam additur, nihil detrahitur, sicut è contrario, omni *essentiæ finitæ*, per naturam ita aliquid addi possit, ut sui augmentationem sentiat, sic etiam aliquid adimi, ut diminutionem & mutationem experiatur; *Hæc*, præterquam quod probat terminorum carentiam in Essendo, statuminat *Et independentiam DEI*, quâ apprehenditur, ut carens omni causa superiore, producente illum: quam facile illi inesse intelligimus ex illis, quæ leviter adduxi in *Thesi 4.* Et purissimam *DEI actualitatem*, quâ cognoscitur esse expers omnis potentia passivæ, ne summa ejus perfectio lædatur, & simplicitas; exolat proin a *DEO* omnis potentia passiva, ut sit purus  
imo

imo purissimus actus, ob infinitatem  
 Essentiæ & Essentialis perfectionis, ex-  
 tra quam, in ipsa, nihil imperfectionem  
 denotans relinquatur; est enim à se ipsa,  
 imo à se ipsa, & per se ipsam, immu-  
 tabiliter, indivisibiliterq; existit. (β DEUS  
 non habere admixtum Essentiæ aliquod  
 adscititium, probat ejusdem *perfectio e-*  
*minens*, quam Damascenus vocat τέλειον  
 ὑπὲρ τέλει καὶ ἀσθένειον: eminens ve-  
 ro dicitur, non tantum quod emi-  
 neat supra omnia, sed &, quod absque  
 ulla sit aptitudine ut limitetur, atque  
 sic, omnem includit perfectionem, con-  
 tinentia eminenti, sibi que convenienti;  
 omnem contra imperfectionem exclu-  
 dit, quia deficere nequit, quod absolu-  
 tissimè perfectum est. Jam, aliud at-  
 que aliud, ab essentia DEI, verè & rea-  
 liter diversum, multis modis dicit im-  
 perfectionem, ut necesse sit, ab omni  
 extraessentiali, remotissimum esse, quod  
 debet perfectissimum esse: Quia vero  
 DEUS est perfectissimum Ens, Ergo  
 ab omni accidente extraneo purissimum,  
 sua-

suamet solum *Essentia* constans, atque in  
 ea, sine ullo accessorio, omnia alia conti-  
 nens, quod erat concludendum. Adde ( $\gamma$ )  
 quod alias *DEUS* *Ens* sufficientissimū esse  
 nequeat. omniumq; primum, quod, ultra  
 primum *Esse* suum, nihil capiat, quod pa-  
 riter firmat suam *Essentia* in *DEO* *sim-*  
*plicitatem*; eatenus etiā *DEUM* perfectissi-  
 mum esse nominamus; quatenus simpli-  
 cissimum asserimus; Compositum enim  
 est nomen multiplicis imperfectionis,  
 importat siquidem dependentiam, tum  
*extrinsecam* ab efficiente, tum *intrinsecam*,  
 non tantum quæ est mutuo inter par-  
 tes, sed & illam, quæ est totius com-  
 positi, à partibus constitutivis, seu com-  
 ponentibus; *Vid. B. Calov. Metaph. D. C. 17.*  
*ωρισμα* 1. Quidquid vero in *DEI* *Essen-*  
*tia* simplicissima, est vel concipitur, nihil  
 aliud est, quam ipsamet, tota, integra  
 & individua *DEI* *Essentia*, non accidens;  
 si enim quid accidentariam videatur præ-  
 se ferre rationem, illud est τῆ ἑσία σύνδρο-  
 μον *Conf. B. Jacob. Mart. Exercit. Metaph. B. 2.*  
 de quo infra fusius, nec est pars *Essentiæ*.

## §. VIII.

**U**terius ut sententiam de DEO *mera*  
*Essentia*, vel *Ente simplicissimo*, ἡ ἐστὶν  
 οὐβάων adstruam, operæ pretium est  
 Sigillatim adhuc ostendere, adversari ei-  
 dem (α) *Omni diversitatem*, h. e. DEUM  
 nihil in se diversum à se agnoscere:  
 hic non minus prolixa, quam commoda,  
 sese offert occasio, disquirendi de *Attri-*  
*butis* divinis, *Essentiæ* divinæ, instar ra-  
 dicis, innixis, tenuitatis tamen ingenii  
 probè conscius, de proprietatibus seu idio-  
 matibus Divinis, sigillatim agere hic non  
 eligo, præsertim cum hoc argumentum,  
 ad Theologos potius pertinere videat-  
 tur: saltem *Theseos* probandæ causa,  
 videbo, *eadem in DEO dari*, non tamen (α)  
 ut *passiones*, verè & rigorosè dictas, *quæ*  
*πραγματικῶς* non sint ipsa *Essentia DEI*,  
 quia hoc adversatur i. *Simplicitati* divi-  
 næ, nam attributa, realiter distincta ab  
*Essentia*, important realem compositio-  
 nem ex subjecto & accidente; at, plura  
 extrema componentia, quæ inter se re-  
 ali-



aliter distingvuntur, in DEO dari non possunt, ob summam DEI simplicitatem  
 2. Divinæ *independentiæ*, nam attributa illa, realiter ab Essentia distincta, erunt dependentia vel independentia, finita vel infinita; si *illud*, datur in Essentia independenti & infinita, aliquid dependens & finitum; si *hoc*, Ergo, præter Essentiam Divinam, plura erunt admit-tenda Entia, independentia & infinita, realiter ab illa distincta, quod implicat;  
 Ast (β) *Identice*, quæ in se, & per se considerata, cum Essentia, & inter se, re ipsa unum & idem sunt, imo nihil aliud, quam ipsissima DEI Essentia, ita ut *diversitas* heic locum habeat nullum, quippe quæ evertit summam DEI *unitatem*, quæ omnem pluritatem respuit; summam DEI *actualitatem*, quæ omnem potentiam, ad recipiendum sive habendum aliquid extraessentialiale abhorret; summam DEI *perfectiorem*, quæ omnem perfectibilitatem, quæ esse possit ab alio extraessentiali, detestatur; summam DEI

*immutabilitatem*, quæ omnem mutationem, quæ oriri possit ab accidentibus, abominatur &c. sed *Eadem*, ne prorsus indistincta maneant, formale discrimen concipit inter illa noster intellectus, cuius cognitio per quam umbratilis est, ita ut, Essentiam divinam, unica adprehensione, distinctè intelligere & adæquatè exhaurire nequeat, ideoque necessum habeat, perfectioris intelligentiæ causa, Eam, diversis distinctisque conceptibus partire, distinctè itidem varios respectus, in eadem simplici & indivisa Essentia, formare, quos *Eadem* habet, vel admittit, vel in *συνκρίσει* ad alia, vel in *σκέσει* ad operationes. Sic ratio sive mens, *justitiam* concipiendo, concipit Essentiam divinam, quatenus se exerit per actum puniendi; & concipiendo *miserencordiam*, eandem quidem Essentiam Divinam, sed qua actum miserendi ræpresentat; hinc fit, quia *justum* esse, diversus est à *miseratione* effectus, ut formale discrimen concipiat natu-

ialis intelligendi ratio, quæ admodum imbecillis est, in cognoscenda simplici virtute DEI. Singulæ autem hæc conceptiones, Essentiam DEI ita denotant explicitè, ut Essentia, cujus sunt attributa, implicitè quidem; attamen formaliter & actualiter includatur, adeoque sensus identicus minimè evertatur; hæc itaque distinctio, rationis puta ratiocinatæ, non supponit plures formalitates in DEO, sed in nostro concipiendi modo, & fundatur in diversis connotatis extrinsecis; ad quorum ordinem attributa multiplicari, quin & formaliter seu rationis opera inter se differre, salva nihilominus manente summa Essentiæ simplicitate, ipso sole clarius est.

### §. VIII.

(B) **O**mnem *compositionem realem*, variæ autem sunt ejusdem species, i. *Ex materia & forma*, vel *ex partibus quantitativis*: hæc, DEO non potest competere, utpote spiritui, & quidem infi-

C

ni-

nito, interminato, infigurato, intangibili, simplici & incomposito, imo hic compositionis modus, ne quidem intelligentiis competit: 2. Ex *subjecto & accidente* vel *ex accidente & accidente*; quæ nec DEO tribuenda est; nam accidens rei convenire non potest citra aliquam mutationem, *potest enim adesse & abesse*. DEUS autem est prorsus immutabilis; accidens præterea est diversæ essentiae à subjecto suo: nihil autem est in DEO, quod sit diversæ à DEO Essentiæ, uti hoc superius innouit, & ulterius infra innouet. 3. Ex *natura & supposito*: hæc compositio, in creatis quidem absoluit realem compositionis speciem, cum termini sint realiter distincti, ut res & rei modus, quod patet è separabilitate, nam potest suppositum, seu suppositivitas (ut vocant in abstracto) à natura separari: cuius exemplum habemus in mysterio incarnationis, siquidem natura humana, propriâ personalitate destituta, in aliena τὴ λόγῳ ὑποστάσει subsistit, & à divina per-

persona suppositatur: sed in DEO sese  
 res non ita habet, in illo enim nihil  
 est, quod ab ipso separari potest; quare  
 licet DEO tribuatur denominatio na-  
 turæ, & in deitate distinctæ personæ  
 asserantur; nulla tamen realis ex natura  
 & supposito, in DEO fingenda est com-  
 positio, cum persona divina sit summè  
 simplex, & nullo modo composita; *partim*  
 quia ibi proprietas transit in perfectam  
 identitatem realem Essentiæ Divinæ;  
*partim* quia Essentia Divina ex se est  
 simpliciter in ultima actualitate. 4. Ex  
*esse & Essentia*, quæ neque DEO con-  
 venit; *sive* juxta nonnullos per *Essentiam*  
 intelligatur ipsa rei quidditas, seu  
*forma*, ut vocant, rei *Metaphysica*, & per  
*esse*, receptivitas Essentiæ, seu ipsius for-  
 mæ receptivum subjectum; *sive* juxta  
 mentem aliorum, Essentia (qua possi-  
 bilis) ab existentia, scilicet essentia actuali,  
 distinguatur talem rationis opera; quia  
 DEUS non est indifferens ad esse actu-  
 ale & potentiale, sed est Ens necessa-

rium, ut supra dictum est; de cuius *Essentia* est *necessario esse*, seu *existere*, ergo hanc quæ inde est ex *essentia* & *existentia* compositionem excludit: deinde non differunt in DEO id quo est, & id quod est DEUS, quemadmodum in creaturis compositio ex *Esse* & *Essentia* realis est, & dicit compositionem formæ, & habentis formam; *Conf. Celeb. D. B. Clotz. Theol. nat. p. 406. item Metaph. div. Calov. pag. 545.* Denique 5. Ex *Actu* & *potentia*, quam in DEO etiam negamus, qui ab omni potentia passiva est remotissimus, neque ut reliqua Entia creata, ulteriores perfectiones suscipere, vel aliquando non esse potest.

### §. IX.

Quod vero attinet *compositionem rationis*, quæ de se nullam intert imperfectionem, non video cur eadem in *Ens* summe simplex cadere non possit; est enim nihil aliud, quam rei in se unius & simplicis, in diversis conce-  
psi-

ptibus representatio, quæ non rei, sed  
 intellectus nostri imperfectionem arguit:  
 uti enim cum mens nostra in Ente summe  
 simplici, velut partitur id, quod est de  
 quidditativo conceptu, & reliqua quæ  
 non pertinent ad quidditativum conce-  
 ptum, partitio ista est non rei, sed ra-  
 tionis, sic & compositio hic supponitur  
 non realis, sed rationis; quæ summæ  
 DEI simplicitati obesse non potest: quam-  
 vis ex alio puncto quadam compositio  
 rationis, ut DEO indigna, removeri  
 debeat; cujusmodi est illa ex *genere &*  
*differentia*, prout genus & differentia  
 sumuntur in usu vulgari, & sensu Por-  
 phyrico, quia per ejusmodi conceptus,  
 determinatio in objecto, seu ex parte  
 rei, magna infertur imperfectio; horum  
 enim unum est in potentia ad alterum,  
 atque unum potest contrahere alterum;  
 at, summa non modo DEI infinitas, sed  
 & pura actualitas, ejusmodi conceptus  
 determinabiles & determinantes, po-  
 tentionales & actuanes abhorrent ex  
 qui-

quibus hæc fluunt argumenta: *Conf. Jacob. Mart. Metaph. L. 2. Theor. 7. pag. 709.*  
 1. Quidquid ex genere & differentia compositum est, illud secundum se totum infinitum non est, quia constat ex determinatis & limitatis perfectionibus, ex quibus nunquam fit infinitum per se;  
 At DEUS infinitus est, Ergo hac ratione minime compositus.  
 2 Ex superiore & inferiore conflatum, non habet puram actualitatem; cum in illo reperiatur contrahens, quod habet rationem actus potentiam perficientis, & contrahibile, quod habet rationem potentiæ; at DEUS habet puram actualitatem, uti ex superioribus perspicuum est, Ergo ex superiore & inferiore conflatus non est.

§. X.

**D**enique ( $\gamma$ ) Omnia accidentia, & proprie dicta *inherentia* removet. Summa DEI *simplicitas*, quæ sine ulia  $\gamma\rho\omega\tau\eta\varsigma$  aut  $\omega\rho\epsilon\lambda\lambda\alpha\gamma\eta\varsigma$  umbra est, ut superius pro-



probavimus. 2. *DEI perfectio*, si enim in  
 DEO reperiretur aliquod accidens, rea-  
 ple à divina Essentia distinctum, id vel  
 à causa aliqua externa dependeret, vel  
 ab ipsa essentia divina emanaret: Si *illud*,  
 DEUS non esset suprema causa; si *hoc*,  
 in DEO esset aliquid natura prius &  
 posterius: itemque effectus, propriè di-  
 ctus, & esse participatum, ac Essentia  
 divina, respectu istorum accidentium,  
 esset in potentia passiva & receptiva,  
 quæ pugnant cum DEI perfectione. 3. Di-  
 vina *immutabilitas*: nam accidentia illa,  
 vel perficiunt Essentiam divinam, vel  
 non; si *hoc*, frustra sunt, nec sunt entia  
 realiter distincta ab Essentia DEI, quia  
 omne Ens dicit quandam perfectionem:  
 si *illud*, DEUS erit mutabilis: breviter,  
 quod pluribus enarrare possem dicam:  
 si accidentia DEUS admitteret, non  
 esset Ens necessarium, non Ens pri-  
 mum, non totus independens. Adde,  
 quod accidens realiter à subjecto diver-  
 sum, dicitur de illo *παρονύμως* tantum  
 &

& concretionem, non in abstracto, sed de DEO loquimur utroque modo: Et certè non facile deprehendo, cui fini accidentia Essentiæ divinæ superadduntur, quia nec ad perfectionem: quomodo enim desumeret perfectionem ab accidente, quæ perfectissima est? nec ad operationem, quomodo enim sufficientiam aliunde mutaretur, quæ ex se ad operationem sufficientissima est? nec ad ornamentum, quia est talis, ut alterius extrinseci ornamenta non requirat *Conf. Celeb. D. Klotz. Theol. Nat. p. 270.*

### §. XI.

Vorstius tamen *Disp. 3. de DEO pag. 186. 187. seq.* cuius impudentiæ antea meminimus, contra urget I. decreta Divina, illa enim in DEO esse, & tamen ipsam DEI Essentiam non esse, varia namque sunt, atque inter se realiter, ut putat, distinctissima, imo contraria, E. G. decretum de prædestinatione, & de reprobatione; deinde etiam libera, Essentia

ve-

vero absolute necessaria & simplicissima est; dari itaque in DEO quædam accidentia, quæ non sunt ipse DEUS. 2. *Personarum pluralitatem* objicit, dicendo; aliam rem esse Patrem; aliam Filium, aliam spiritum Sanctum, & quidem ab Essentia DEI realiter distinctam. 3. *Actiones* quasdam urget, quæ non sint τὰ αὐτὸ ἴ. cum Essentia divina, sed aliquid illi accidens, & ad eam superveniens, E. G. quod sit *creator*, *omnium sustentator*, quod *colatur*, &c. 4. allegat *affectus*, iram, odium, amorem, consilium, quos scriptura DEO tribuere videtur, tanquam accidentia, uti DEI etiam, per suam animam jurantis, meminit sacra pagina, Amos 6. v. 8 Nec non vitam in seipso habentis Joh 5. v. 26.

§. XII.

Verū frustra hos & alios hic Vorstius nectit contradictionis nodos, qui facili opera, à Theologis pariter ac Philologis solvuntur: Dixerā supra, DEO adversari diversitatē & compositiōnem

D

onem

onē realē, vel maximē eō, ut Vorstius  
 qui hic in aduertum nititur, hoc mi-  
 nus nobis nunc, in remotione acci-  
 dentis à DEO occupatis, tacefferet  
 negotii: Cum itaque *DEUS* jurat per  
 animam suam, per seipsum jurat, *Conf.*  
*Syst. Theol. D. Brochm. p. 124.* Vitam  
 quoque in semetipso ita *DEUS* ha-  
 bet, ut sit ipsa vita 1. Joh. 2. 2: non  
 habens formam aliquam in se, per  
 quam vivat, alias enim accidente quo-  
 dam vivus esset, & non semetipso.  
 Potest hic attendi ratio D. Bernhardi  
*Serm. 80 in Cant.* quæ talis est: *Si vita*  
*sapientia, justitia &c. DEI, non est DEUS,*  
*quid est? aut enim DEUS est, aut aliquid*  
*quod non est DEUS, aut nihil, equeidem non*  
*das DEUM esse, sed ne nihilum quidem ut*  
*opinor, dabis, quam (essentiam puta aut*  
*sapientiam) usque adeo necessariam DEO*  
*esse fateris, ut non modo absque ea DEUS*  
*esse non possit, sed eâ sit. Quod si ali-*  
*quid est, quod non est DEUS, aut minor*  
*erit DEO, aut major, aut pars, at quomodo*  
*minor, quâ DEUS est? restat, ut aut ma-*

jorem fatearis, aut parens: sed si major,  
 ipsa est summum bonum, non DEUS, si  
 par, duo sunt summa bona, non unum,  
 videbis cit. B. D. Lr. de Consid. Cap. VII.  
 Nomina deinceps affectuum, quæ alle-  
 gantur, in impugnanda simplicitate  
 divina, per ἐνδρωπονάθειαν, id est, ta-  
 lem loquendi modum, interpretanda  
 sunt, quo affectus humani attribu-  
 untur DEO, non quod ei intunt, sed  
 quod similia eorum affectuum, sive  
 perturbationum effecta, in creatu-  
 ris, de DEO prædicentur; ac pro-  
 inde sunt prius ab omni imperfe-  
 ctione purganda, quam assignentur  
 DEO: in promptu est Theologorum  
 cautio: quæ in scripturis καὶ ἡμᾶς  
 nostro more dicuntur, accommodare  
 debemus ad ἡα ὑπὲρ ἡμᾶς, & quæ  
 ἐνδρωπονάθειος scriptura loquitur, θεω-  
 ρητέως intelligere. *Actiones* insuper  
 DEI distingvimus, ut argumentum  
 Vorstii, ab illis petitum corruat, in  
 immanentes & transeuntes, hæ non sunt  
 re-

realiter ratio 71 cum Essentia Divina,  
 quatenus scilicet terminantur in crea-  
 turis; DEO etiam nihil accedit in-  
 trinsicè, cum actu creat, quod non  
 fuerit in illo, antequam actu crearet,  
 licet in creatura, quæ hujus actio-  
 nis terminus est, quædam accedat  
 perfectio: *Conf. D. Klotz. p. 284. dicam*  
*simpliciter: Accidens prædicabile DEO*  
*alienum non est, sic esse creatorem, ac-*  
*cidentaliter de eo enunciatur prædi-*  
*catione extrinseca; est autem prædica-*  
*mentale, quod subiecto inhæret; tale*  
*enim in DEUM non cadit, quia com-*  
*positionem ex subiecto & accidente*  
*intert. Conf. D. Gerherd disp. Ifag. p. 116.*  
*Item Thesaur. Disp. Heunisch. p. 120. Perso-*  
*narum denique simplicissimarum ve-*  
*ritas, non tollit Essentie simplicissimæ*  
*veritatem, ut vult Adverlarius, ratio*  
*est: quia licet pluralitas personarum*  
*omnino detur in DEO, ob distinctionem*  
*personarum S.S. Trinitatis inter se res-*  
*dem; non tamen sunt in DEO pluralitatis*  
*extrema componentia realia, utpote quæ*

nequeunt uniri, sine operatione cau-  
 sã efficientis, qualis respectu DEI  
 dari non potest, cum ipso nihil sit  
 prius. *Vid. D. Grau. Illust. disp. 1. Q. 8.*  
 diserte quoque tradit scriptura, apud  
 DEUM non esse *παράλλαγήν, ἢ τρο-*  
*πῆς ἀποσκίασμα.* *Conf. syst Theol. D. Broc.*  
*mandi p. 124. Item Heunisch. redib. pag. 119.*

### §. XIII.

**L**atissimus certè sese nunc aperie  
 campus disserendi super *Decretis*  
 divinis, *actionibus DEI liberis & acti-*  
*bus intellectus & voluntatis* Divinæ, sed  
 in eundem exspatiari prohibuit, par-  
 tim angustia temporis, partim, quæ  
 à vento, in eodem, adverso, egestæ  
 sunt harenarum moles, maxime ve-  
 ro, virium ingenii imbecillitas; nihil-  
 ominus tamen, ut quid roboris in-  
 sit Vorstii argumentationi videam,  
 de modo volendi in DEO, pauca in an-  
 tecessum libabo: eum scil. 1. esse *sim-*  
*plificissimum*, sicut Essentia DEI unica est  
 & simplicissima *Vid. Disp. VIII. B. D.*

*Kloster.*

*Klotz. de Volunt. DEI. 2. Perfectissimum,*  
 propter identitatem ejus ad Esse  
 DEI, æquè ac reliquorum attributo-  
 rum. 3. *Immutabilem* & constantem, non  
 ratione *objecti*, namque manet in se  
 immutabilis voluntas, qua DEUS mun-  
 dum voluit creare & tandem eun-  
 dem volet destrui; nec ratione *neces-*  
*sitatis agendi*, quasi agere aliter non  
 possit, sed necessario agat quidquid  
 agit, quia DEUS est agens liberum;  
 sed ratione *volitionis* ipsius, sive decreti;  
 quia omnia maturo judicio, nec in-  
 consulto decernit, ideo nisi arguere  
 velis DEUM inconstantia, vel im-  
 perfectionis, eum in voluntate, seu  
 decreto, immutabilem dices *Vid. eun-*  
*dem pag. 726. & seqv.* Quod ad obje-  
 ctionem ipsam, notandum *decreta* in-  
 tra Deitatis sinum, considerata vel *sub-*  
*jective*, seu *active*, & respectu *actus vo-*  
*lendi* in DEO, non esse varia, sed ipsam  
 Essentiam decernentem, ita ut DEUS  
*seipso* & *sua Essentia* omnia intelligat,  
 proponat, & decernat: nec opus ha-  
 be-



beat ullo reali actuum accessu, aut successu, aut sicut in nobis fit, naturali emanatione eorum, à potentia intelligendi & volendi, quibus tandem concurrentibus aliquid decernat. *Conf. Syst. Theol. B. D. Brochm. loc. sup. cit. Item B. Klotz. Theol. nat. Diss. V. de attributis in genere.* Hinc nequicquam habefactatur summa DEI simplicitas per sua decreta: quæ saltem extra Deitatis sinum, seu *terminative* vel *objective* considerata varia sunt, & vel à DEO, vel inter se realiter distincta, sunt enim sic, nihil aliud quam res decretæ. Jam quando viribus ingenii, licet non voto satisfactum est video, argumentum hocce, difficultatibus aliis oppido quam multis, & controversiis non levibus spinosum, dimitto, satis habens ostendisse, *DEUM Essentiam* non sine grandi Mystero coli debere, ob simplicitatem summam, bonitatem, sapientiam & perfectiones, quarum plenus est: hæ enim tales, tamque immentæ sunt, ut si totus mundus libris esset refertus,

omnesque creaturæ scriptores essent,  
atq; omnes maris aquæ attramentū:  
prius tamen omnes libri implerentur,  
scriptores cuncti defatigaretur, ma-  
req; ipsū exhauriretur, quā condigne  
& ut revera est, vel una sola illarū per-  
fectionum describeretur: Quid vero  
ego simplicitatis & perfectionis Essen-  
tiæ divinæ defensione, ut potui, ut va-  
lui defunctus? Certo scio delicatis &  
doctioribus, hoc meum specimen, quia  
non ab omni parte politum est, repre-  
hensione dignum videri; benigniorem  
tamen censuram ex ipsius argumenti  
difficultate & honorum facilitate mi-  
hi promitto. Sed nec durio rem recu-  
so, aut graviter & iniquo animo excipi-  
am feramve; Quid enim mihi gratius  
esse possit, quam à doctis corrigi, ab  
aliis incitari? maledicta si quis elegerit,  
non sine nocumento Auctoris transi-  
bunt: Bonis autem placuisse sat est.  
DEO, quod superest, Enti simplissimo  
& perfectissimo sit laus, honor  
& gloria, in perpetuas  
æternitates.



Juveni  
humanissimo  
DN. GISLONI UNNERO  
Doctè  
De DEO ESSENTIA  
differenti.

**E**gregiâ, clarâ, doctâ, probat, explicat, of-  
fert  
GISLO, quidDEUS est, indole, voce, manu.  
Hinc studium, sudor, tempus, serâ, Otia, fa-  
mam  
Præbet, dat, servat, Laurea, grata, bonam.

JONAS TELLMAN.

